

ESTICA  
A. 5085

14.

9  
1000

A L I U D.

**L**Audes Historiæ utilemque fructum.  
L O C C E N I tuus, Atticis opime  
Spirans sermo velut favis, disertus,  
Exornat cumulatque gratiosè;  
Immò ipso Historiæ è scatente fonte  
Extollit celebratque gloriosè!

Fælix iste labor labore parta &  
Docto gratia: Tu decus sonando,  
Laudes dum cumulas celebriores  
L O C C E N I, Historiæ perennioris  
Interpres celebris: tibi perenni  
Famâ perpetuas stilo decorem.  
Sic laudem comes insequi solet laus,  
Sic virtus comitata Gratijs, sic  
Virtutem favorille Gratiarum!

SVENO JONÆ We.  
strogothus Sanctæ  
ling. P. ord.



ORATIO


IOHANNIS SCHRODERI  
SKYTTE SVECI, 18

SINE ELOQVENTIA AD ERVDI-  
tionis fastigium perveniri non posse.

RECITATA IN CELEBERRIMA  
Marpurgensium Academiâ mense No-  
vemb. Anno &c 1598.

AD

ILLVSTRISSIMVM,  
POTENTISSIMVM ET LITERATIS-  
simum Principem ac Dominum, DN: VVILHEL-  
MVM, Ducem Brunsvicensium & Lunæ-  
burgensium, Dominum suum  
clementissimum, &c.



STOCKHOLMIÆ

Imprimebat Andreas Guttervitz  
Anno Christi 1604.

**ILLVSTRISSIMO, POTENTISSIMO ET LITERATISSIMO**  
Principi ac Domino, DN: **VVILHELMO,**  
Duci Brunsvicensium & Lunaburgensium,  
Domino suo clementissimo,

**PAGELLAS HASCE**

**VELVTI GRATITVDINIS** ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑΣ  
& Germanicæ hospitalitatis  
Symbolum

*Humillimè nuncupat, consecrat*

**IOHANNES SKYTTE.**

**M**aximè habendæ sunt gratiæ gratiæ illi-  
lustrissimæ  
mis & potentissimis Hassiæ Principi-  
bus, clarissima Academia Marpurgen-  
sis lumina, quòd, cum singulari quo-  
dam amore facultates & scientias com-  
plectantur, & earundem præclarissima  
patrimonia in hac Academia studiosæ adolescentiæ proponi  
debere gloriosè contendant, Oratoria quoq; studia summo ho-  
nore cumulanda, Oratoriæq; facultatis Professores magni-  
ficis stipendiis afficiendos esse censeant.

Cum factum illorum perpetuâ vitâ dignissimum & e-  
loquentiæ studiosis gratissimum esse debet, tum profectò o-  
ratio tua, Hermanne Kirchnere, quâ tum publicè, tum pri-  
vatim subinde es usus, ac etiamnum uteris.

Confirmasti enim verum esse id, quod ego semper sensi  
& cogitavi. **NEMINEM AD VERÆ SUM-  
MÆQUE ERVDITIONIS AMPLISSIMUM  
CVLMEN PERVENIRE POSSE, NISI QUI  
NOBILISSIMÆ ELOQVENTIÆ STUDIA  
DILIGENTI STUDIO, EXERCITATIONE.  
QVE MULTIPlici EXCOLVERIT.**

Quamobrem cum animadvertam & tibi, Kirchnere,  
& reliquis Professoribus, placere, ut ex hoc loco augustissi-  
mo verba faciam, nihil huic tempori tam consentaneum,  
tamq; accommodatum à me suscipi posse video, quàm si i-  
psius Eloquentiæ admiranda dignitatum ornamenta omni-  
bus ante oculos statuam.

A 2

Quæ

Quæ res tunc  
omnium

... omnium eorum animos, qui in tantæ di-  
scipline dignitatem amplificandam inflammati & incitati  
sunt, inflammatiores & incitatiores reddet, tum verò ma-  
ximè auspiciis omnibus votis optandum Collegio illi Orato-  
rio, quod te instituturum promissisti, Kirchnere, præbebit.  
in duabus verò partibus orationis nostræ materies versabi-  
tur. **ET PRIMVM**, quod antea proposui, **NEMI-  
NEM**, scilicet **BEATISSIMA ET IVCVNDIS-  
SIMA ERVDITIONIS LAVDE CVMVLA-  
TVM IRI, NISI QVI PRIVS ELOQVEN-  
TIAM MAXIMO ANIMI ARDORE PER-  
SECVTVS SIT**, hoc, inquam, ipsum argumentis, ad e-  
am rem comparatis verissimum esse demonstrabo: Deinde  
Eloquentiæ studiosis media quedam ad tanta bona commo-  
diùs excolenda humanissimè suppeditabo. Verùm cum ego  
is sim, qui neq; eruditionis laude, neq; dicenti gloriâ vobis  
scum comparari possim, dabitis mihi hanc veniam, si non  
quantum debeam, sed quantum ingenij mei tenuitas ferat,  
partes meas exornem.

Quoties itaque, Auditores, tacitus mecum cogito, men-  
teq; totâ perlustro, quid nobis eruditionem, omniumq; rerum  
laudandarum doctrinam potissimum conciliet, compretet, ac-  
quirat, totius deprehendo, omne illud è duobus quasi fontibus  
**RATIONIS & ORATIONIS** profluere ac emanare.

Rationis autem & Orationis mirifica est harmonia,  
mirifica consonantia. Quemadmodum enim in curiâ aliquâ  
amplissimâ

amplissimâ Senatus est, qui de rebus gravissimis  
consultet, decernat; sunt in eadem præcones, qui Senatus  
decreta non solùm veluti nuncij aliis proponant, verùm ea-  
dem etiam promptissimè conficiant & expediant: ita in ho-  
mine omnium creaturarum nobilissimo **RATIO** instar Se-  
natus est, cuius jussa duo veluti **RATIONIS** præcones ac  
nuncij, **SERMO PVRS & ORNATVS** alacriter  
exequuntur.

Et ut nunciorum horum veritatem & majestatem sin-  
gularem ob oculos vestros collocem, statuo **RATIONIS**  
egregias virtutes, pulcherrimasq; dotes sine **ORATIONIS**  
vel **PVRÆ**, vel **ORNATÆ** dignitate expediri, cumq;  
hominibus communicari non posse.

Quod quidem pronunciatum vetustissimorum seculo-  
rum homines, veritati consentaneum esse lubentissimè profi-  
tebuntur. Queramus ex illis, qui ante **ORPHEVM**, qui  
ante **LINVM**, ante **AMPHIONEM** tres viros illos  
eloquentissimos vixerunt, quid causæ, quod in omnibus scia-  
entiis ac studiis, quibus posteriores ætates tantopere excultæ  
sunt, tanta ruditas & inscitia ac solitudo priore illo ævo  
versata sit? quid egerint, quid homines illi fecerint, quò  
minus ingenium artibus ingenuis & civilioribus rationibus  
erudierint? Hoc inquam, si ex illis queramus, responde-  
bunt, opinor, sibi non captum, non sensum, non intellectum,  
non iudicium ad percipienda illa omnia, quæ ad humanitatis  
informationem pertinent, verùm unicum illud & amplissi-

quid de rebus  
gravissimis  
delectantur

in  
instrumentum

instrumentum, **ELOQUENTIAM**, quæ  
nuncia & præco sit omnium disciplinarum, defuisse. Abditi  
igitur & abstrusi sapientiæ divinæ thesauri longo tempore  
eam ob causam latebant, quòd qui opes tantas depromeret &  
in usum vitæ communis diffunderet, dilataret, amplificaret,  
exornaret, promus & interpres nullus inventus fuerit. Ea-  
dem tùm **RATIONIS** flagrantia, eadem cupiditas erat,  
eadem naturæ ad perfectionem sui propensio & eadem co-  
gitationum aviditas, quæ in posterioris ætatis indole ani-  
madversa fuit: Ab orationis solâ inopiâ & Eloquentiæ rudi-  
tate omnis illa scientiarû raritas & publica artium egestas  
proficiscebatur. Muta erat manus illa omnium disciplinarum  
**Logica**, neque facultates suas concinnè verbisq; propriis,  
rectèq; & integrè ac ordine junctis exponere, fontesq; suos  
explicare, aut dextram suam aliis porrigere poterat: Muta  
**Arithmetica**, Muta **Geometria**, Muta **Optica**, mutæ reliquæ  
artes **Mathematicæ**, muta **Physica**, muta **Politica**, mutæ  
facultates omnes illæ superiores; nihilque ab imaginibus  
sculptis & adumbratis coloribus differebant: Aut ut maxi-  
mè aliquis sonus & literarum resonantia in illis perciperet-  
tur, adeò tamen obscura & distorta erat, ut majorem caligie-  
nem & nubem, quàm lucem afferret. Hoc cùm intelligen-  
rent gentilis superstitionis prisca illi homines, ad orationis be-  
neficia impetranda preces ac vota sua vehementer contule-  
runt. Quid enim illa Mercurij adoratio, quid aræ, quid de-  
lubra, quid statuæ in omnibus trivis positæ voluerunt? quid  
indica-

indicarunt aliud, quàm Mercurij, hoc est, Eloquentiæ aoni-  
ad omnem humanitatis cultum percipiendum summopere esse  
necessaria, quæ cælitus devocanda, & ad ignorantia huma-  
næ nebulas discutiendas, summis votis essent impetranda?  
Aut quid aliud **CITHARÆ, FIDIS ET TESTI-  
DINES** in Musarum manibus, quæ pinguntur & ab  
antiquis finguntur, quid cantus illarum & modulationes a-  
liud significant, quàm omnem Musicam, hoc est, eruditio-  
nis & scientiæ virtutem à nervis & fidibus puta, ab Elo-  
quentiâ dependere? Sed rem eandem propioribus vestro  
conspectui argumentis ac domesticis quodammodo exemplis  
brevisiter demonstrabo. Quis vestrum est, qui ignoret, quan-  
ta barbaries & ignorantia caligo in universo orbe Euro-  
pæo, profligatâ literarum & linguarum puritate, dominata  
fuerit? Antiqua Germaniæ facies magis ad horrorem Mar-  
tis, quàm ad artis ullius honorem instituta erat, adeoq; inops  
ab omni eruditione fuisse cognoscitur, ut permirum alicui  
videri possit, quòd fieri potuerit, ut ad tantam in omni disci-  
plinarum genere perfectionem tam brevi interjecto ætatis  
cursu pervenerit? Neque verò bella civilia tantùm & exo-  
terna, quibus maximo animi ardore Germani dediti erant,  
tam fœdam barbariem, tam incredibilem rerum laudabili-  
um vastitatem induxerunt, verùm etiam Scholæ **SCOTI-  
STARVM & THOM. STARVM**, quæ barbariej & o-  
mnis inelegantia officinæ fuerunt, omne illud cœnum pepere-  
runt, qui sordidis suis terminis literarû alioquin desiderio fla-  
granti-

grātibz nauseam ac fastidium objecerunt, qui tenera studioforum ingenia, nescio quibus in nugis detinendo, veræ Philosophiæ & superiorum facultatum nucleum penitus proculcarunt. Sed quid Scotisticas & Thomisticas illas nebulas ac barbariæ immunditiem & squalorem, Germaniam iavassisse commemoro? Inundavit fœdissima hæc pestis univērsam Italiam, Galliam, Hispaniam, Sueciam, Daniam, aliāsque provincias & populorum multitudine & divitiarum amplitudine commendatissimas. Quoties ego ætatis illius recordor, toties profectō sordidissimum & impurissimum illud philosophandi genus satis demirari non possum. Quibus verō veltibus, quibus machinis, quibus ferramentis tantæ fœditatis molem demoliri & dejicere superioris ævi Promethei, & restauratores illi disciplinarum potuerunt? per quos homines humaniorum literarum studia rursus excitata, & à situ & squalore repurgata esse arbitramur? Aspice Italos, Gallos, Hispanos, Germanos, Suecos, Danos, reperies eos prodire cum admirabili lepore & venustate dicendi, reperies eos vividæ Eloquentiæ succo, tanquam cœlesti quodam imbre, solitudinem illam spinosam superioris seculi, dissipasse, distraxisse: prodeat jam ex Germanis PHILIPPVS MELANCHTHON, quem PÆTRVS RAMVS, maximus hominū eloquentium censor, Germaniæ LVMEN appellat, qui varia disciplinarum genera nitidissimo orationis genere perpoliuit: Prodeat idem Ramus ex Gallis, qui cū Lutetiam Parisiorum ad capeffendas

capessendas literas venisset, in spinosa SORBONISTARVM & THOMISTARVM Sophismata incidit: ad quæ deinde convellenda Eloquentiam suam admirabilem adhibuit, & Logicam rationis tranquille & pacatæ disciplinæ magistrā sibi proposuit, quæ ipsū doceret in aliorum, in quos suos errores inquirere, & anilia quorundam philosophorum deliramenta solidè refellere. Quātum verō in hoc studio rum genere profecerit, testantur ipsius Scholæ Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæ, Mathematicæ, Physicæ, Metaphysicæ, quas in omnium manus emanare, ac omnibus seculis facem præferre solidæ scientiæ voluit. Iam ego credo vos perspicere, me in demonstrandā superiorum seculorum ruditate non levibus argumentis duci, sed clarissimā rerum gestarum memoriā commoveri. Quāobrem fateamur nos oportet, Eloquentiam ita esse comparatam, ut sine eā disciplinarum fundamenta neque poni, neque intelligi possint.

Pindarus omni laude cumulatus Pœta, de Rhodiis refert, quod MINERVÆ è cerebro Iovis editæ, sacrificium quoddam obtulerint. Atqui eo IVPITER ita captus & commotus est, ut totam illam insulam auræ nubeculā irri-garit. Verū cū ex oscitantia salem sacrificio adhibere neglexissent, Minervam Rhodon dereliquisse, & in alia loca velociter confugisse, idem Pindarus profitetur. At quid hæc fuga subindicare aliud voluit, quā Minervam, id est, omnium rerum suavissimam cognitionem comparari, vel retineri non posse, nisi Eloquentiā tanquam sale condidatur? O  
B  
stultos

fruitos igitur & amentes illos studiorum moderatores, qui sine sale, hoc est, sermonis elegantia res omnes tractandas & praelegendas esse contendunt!

Sapientius & prudentius illi veteres, qui ad aras Lugdunenses Oratorum certamina instituerunt, & victores maximis praemiis, victos vero ludibriis plagisq. affecerunt. Et quid aliud **QUINOVENNALIA** olim **NE**apoli instituta exercitia voluerunt, quid spectarunt, in quibus Oratorum latera sese ostentabant, in quibus homines eloquentes de praemiis propositis conatu summo contendebant? Quid vero sceleratissimus ille **Apostata**, bonarumq. literarum hostis inferatissimus **IVLIANVS**, qui nullam commodiore ratione artes & disciplinas affligi, jugulari, & e medio tolli posse iudicavit, quam si oratoris studiis vitam primum eriperet, omniumq. eloquentium hominum magnifica monumenta penitus aboleret? O pestem, pestem literarum omnium execrandam & scelus nefarium humanitatis finibus exterminandum! Surgite, Amplissimi viri, surgite, omnibusq., quibus potestis, armis & praesidiis Eloquentiae possessionem tuemini, & tanquam religiosum ac sanctum thesaurum, ab omni iniuria & contumelia defendite. Nec enim ullo modo hoc ferendum est, ut ab eiusmodi hostibus & Iulianis Reginae huius castitas prostituatur, ejusq. majestas in contemptum adducatur, ut turpi quodam ad omnem posteritatem exemplo, tantum bonum nobis eripiatur, & diutius importunis irrisorum calumniis exponatur. Quin potius vigeat memoria seculorum

rum omnium, illam posteritas alet, illam aeternitas semper intuebitur.

Magna haec sunt, Auditores, quae de Eloquentiae virtutibus haecenus a me dicta sunt: Sed majus est, mihi credite, nullum esse vitae genus paulo latius, nullam functionem publicam, nullam legationem, nulla comitia, nullos principum regumq. conventus, in quibus amplissimus huius doctrinae usus non eniteat atque resplendescat; adeo quidem, ut homines hac facultate destituti, ubi rebus agendis non solum interesse, sed etiam praesse debent, plane se mutos, plane in animi sui sensis efferendis ineptos esse ostendant. Excitandi & inflammandi essent eloquentissimorum hominum exemplo ad ea studia pertractanda, per quae immortale, gloriosumq. nomen comparatur. Eloquentiae vim singularem animadvertit **PYRRHVS** Rex Epirotarum, qui legationibus suis Cyneam hominem eloquentissimum praeficiebat, cujus eloquentiam admirabili plura oppida, plures provincias, quam armis se suis expugnasse gloriabatur. Quod si **CHRISTIERNVS** ejus nominis primus, Rex Danorum, eloquentiae variarumq. linguarum cognitione cumulatus fuisset, & ita animum, ut corpus excoluisset, vel suavissimae membrorum corporis harmoniae mentis animiq. culturam adjunxisset, Pontifici Romano acceptior extitisset, neq. eidem irridendi sui materiam praebuisset. Christiernus etenim postquam primus suae familiae clarissimum lumen intulisset, & ad regium illum honoris apicem conscendisset, cogitavit, se

nilla alia

nilla alia commodiore ratione, Deo præpotenti, pro tanto beneficio condignas reddere posse gratias, quàm si longis itineribus in Italiam contenderet, summoq; Pontifici, quem Christi Mediatoris nostri vices in his terris gerere, falsò sibi persuaserat, paratissima humillimaque deferret obsequia. Tanti tamque potentis Regis præsentia, & insigni omnium membrorum structurâ vehementissimè delectatus est Pontifex, ut nihil ipsi magis volupe fuerit, quàm cum Christierno de rebus præclarissimis differere. Verùm cum animadvertisset eum, neq; Italicam, neq; Latinam, neq; Gallicam, neq; Hispanicam linguam intelligere, non potuit sibi temperare Pontifex, quin ad suos conuersus gravissimam hanc vocem ederet: **O QUAM BELLA HÆC ESSET BESTIA, SI LOQVI POSSET.** Sed ut muneri meo in Eloquentia dignitatè deprædicandâ, satisfecisse videar, ipsam Eloquentiam in conspectum vestrum adducam, quæ majori animi contentione virtutes suas indicabit. Ego (inquit ipsa) immensas hominum vitæ utilitates suppedito. Sine me nihil in hominum conventibus, nihil in comitiis, nihil in legationibus magnificè proponi vel pertractari potest. Te igitur **AARON** sanctissime vates ac Sacerdos appello. Regem Pharaonem de dimittendis Israëlitis toties compellasti. At cuius ministerio tam præclarum opus effecisti? meo, inquam, beneficio, munus tuum liberaliter exornasti. Vos deinde Prophetæ & Apostoli ad tam grave iudicium adduco. Quis vobis fuit adiumento, ut mandata Dei sine tremore &

re & metu, sine hesitantiâ toti mundo proponeretis? ego, post Deum immortalem totum hoc, quantumcunque est, quod certè maximum est, mihi tribuo.

proponeretis? Ego, Ego

Sed quid Prophetas & Apostolos commemoro? Te potius dulcissime **CHRISTE** nominabo, sub tuæ auctoritatis umbrâ placidè conquiescere studebo. Eloquentiæ tuæ gloriâ infinita hominum millia ad te diligendum inflammasti: Eloquentiæ tuæ admirabili virtute Phariseos, eorumq; ministros, aliosq; complures, qui ad te fallendum mitebantur, confutasti, & velut fulmine quodam cælitus demisso attonitos reddidisti. O me omnium beatissimam, quæ in diuinis tuis labiis æternam possessionem sum adeptâ! Ego sum illa, quæ ex tuo sanctissimo ore ad deprecandum pro genere humano, perennis profluo, quæ iram æterni patris mitigo, pœnas à peccatoribus avertio.

Neque verò in cælo tantùm & sanctissimorum hominum Orationibus mirificè dominatum meum exerceo, sed & omnium reliquorum mortalium negocia guberno. O quàm mihi amabiles estis, vos oratorum lumina, Cicero, Hortensius, Crasse, Pericles, Demosthenes, qui in meâ laudis honorem fortiter incubuistis, qui meis machinis homines nefarios & sceleratos ex urbibus vestris eiecistis? Quid vultis amplius? Ego sola sum, quæ lites abortas & vulnera animorum placido orationis quasi oleo quodam sedare soleam, quæ Reges ac Principes conciliem, stabiliq; amicitiaæ fœdere jungam. Hæc, Auditores, ipsa Eloquentia, de se suisq; dividit

Ornamentis profitetur. Audivistis itaque sine orationis facultate, suavisimas rationis divitias cum aliis non posse communicari: Audivistis omnem barbariem eloquentie viribus expulsam, omnemque liberalis eruditionis doctrinam vicissim introductam esse: Audivistis nullum esse vite genus, in quo usus tanti boni non eluceat. Sed ne quis eorum, qui Eloquentie studiosi volunt nominari, mihi obijcere possit, quasi admirandos eloquentie flores in medium quidem adducam, quasi maximum ejus esse usum declamitem, nulla tamen media, quibus ad tantae disciplinae fastigium perveniri possit, ostendam, dabitis mihi hanc veniam, si postulationi vestrae & promissioni meae satisfecero. Materies igitur Eloquentie copiosa non solum est in Cicerone, sed in Polybio, Herodoto, Plutarcho, Livio, Bodino, aliisque Auctoribus praestantissimis. Conformatio illius materiae, id est, ordo, quo res tam nobiles debeant tractari, ex Platonis, ex Aristotelis, ex Petri Rami Logicis monumentis, non est nescio quam interpretum Aristotelis lacunam desumendus, repetendus, depromendus. Exerceatur stilus, excolatur memoria ediscendis ad verbum quam plurimis & vestris scriptis & alienis. Atque in hac exercitatione commodum interdum fuerit ex domestica & umbratili exercitatione medium in agmen, in pulverem publicum, aciem instructam, dictionem educere: periclitanda sunt omnes ingenij vires: pernoscendi sunt omnes animorum motus: legendi Poetae, cognoscenda historia: Omnium bonarum artium Scriptores & Doctores  
Flores

Flores pervolvendi, & exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi: in contrarias partes disputandum de omni re, & quicquid erit in quaque re, quod probabile videri possit, eliciendum atque dicendum: perdiscendum jus civile: cognoscenda leges: percipienda omnis antiquitas: status imperiorum scrutandus. Effudi vobis summatim omnia, quae ad hujus disciplinae facultatem exornandam adhiberi possint. Neque vero si difficultas quaedam vobis in hoc studio oblata fuerit, illico, quod multi facere solent, magnificentissima haec studia deserite, sed ad Oratoris Marpurgensis uberrimos fontes refugite, inde ariditati vestrae opem & auxilium poscite. Ad te itaque, Hermanne Kirchnere, ad te, quem in limine hujus orationis appellavi, sermonem meum postremum converto, qui cum in hac Academia maximam Eloquentiae laudem floreas, cum leges, cum antiquitates, omniumque historiarum cognitionem, incredibili ingenij felicitate comprehensam habeas, & studiis politicis Spartam tuam mirifice exornes, facillime omnium tuos Eloquentiae studiosis thesauros aperire, & oratoriam facultate eos collegit amicorum Epicedia, ac omnem summo opere exposcunt. exornat te, tuasque, tam excellenti bono. Quibus illorum vobis, o te studiis eorum charum & amabilem! alium suum, Demosthenem suum, Suadam suam, delitium suum, mel suum, labium suum appellabunt. Illustrissimis & clementissimis  
Catto

Lectorum principibus, Academiae hujus nutritiis, diligentiam & acumen tuum ipsae UH Arites commendabunt: omnes Academiae proceres labores tuos sollicita valdeq; anxiam curam praedicabunt, frequentia illa tanta, quantam meminisse in hoc Auditorio non video, virtutum tuarum praeconia in omnes terrarum oras effundet, omnes illorum familiares aeternam memoriam nomen tuum gratissimè prosequuntur. Imò verò statuas tibi immortales non in cippis & lapidibus, sed in animis suis perpetuo positas relinquent. Haec igitur, Hermayne Kirchnere, ab omnibus tibi festa gratulatio & collaudatio parata est, si ardentissimae studiosorum voluntati indulseris; teque ideo per eloquentiae ipsius majestatem ad istam utilitatis illorum gloriosam palmam augendum adhortor, tibiq; ad immense laudis possessionem comparandum adeundumque à Deo Opt: Max: longissimam & omnibus omnium bonorum generibus affluentissimam vitam precor, vehementerq; contendo, ut in publico hoc literatissimorum hominum conventu plenissimè signi-

ficet, quid sibi de te polliceri debeat.

omni qui tunc in meo studio

haec exercitio studiosi.

et umbr

icum I X L


JOHANNIS LOCCENII  
Historiar. Professoris.

ORATIO  
FUNEBRIS:

HABITA IN EXEQUIIS  
Clarissimi ac Eximij Viri,

JOANNIS SIMONII  
SKYTTIANI ORATORIE  
PROFESSORIS IN RE-  
giâ Upsal. Acad.

Ad diem XXIX. Majj. ob Itc XXVII.  
Accedunt Amicorum Epicedia.



UPSALIAE,

Excudebat ESCHILLUS MATTHIÆ, Anno  
M.DC. XXVII.